

36.

(4) *Circumspecta actio postulata fuit, h. e. ad omnes eventus præparata & armata. Non solum successum sperare sufficit, sed etiam, quid ubi successus defuerit agendum sit, Fortunæ Faber meditari debet. Atque hoc & Seneca est Consilium: Preparetur Animus contra omnia. Nemo non fortius ad id, cui se composuerat, accessit, & duris quoque, si præmeditata erant, obstitit. At contra imparatus etiam levissima expavit. Id agendum est, ne quid nobis inopinatum sit. Epistolar. L. I. Epist. CVII.*

37.

*Perspectis jam desiderii implendi Mediis, pauca adhuc de removendis Obstaculis adjicienda sunt. Veniunt vero ista præcipue: partim à Superioribus & Patronis iratis; partim à Paribus Aemulis & invidis. Nam inferiores tam facile non irascuntur, modo observentur regulæ ad ipsorum captandam benevolentiam superius præscriptæ.*

38.

*Prius Obstaculum à Superioribus & Patronis iratis provenire posse dictum fuit; eorum igitur Gratia prudenter reconcilianda est, ubi suspensā & dubiam eam deprehenderimus. Sæpius enim non tam culpâ nostrâ, quam ob Tempus minus opportunum irasci solent. Obtinebimus hoc: (i) submissam Tristitiam offendendo. Ex hoc nimirum Animi mœrore judicabunt, quanti æstimetur à nobis ipsorum Benevolentia, & tacitâ hâc insi-*

C 3

nuatione